

† **NECROLOGIA** †

† **R. P. Iacobus Collier (1872–1939)**
(Prov. Hibern.)

P. Iacobus Collier, Instituti sodalis et virtute et sacri ministerii successibus vere eminens, natus est d. 29 Dec. 1872 in oppido Hiberniae Camross, primus novem liberorum. Frater eius minor Patritius inde ab a. 1928 sapienter gubernat dioecesim Ossoriensem (*Ossory*), et frater Daniel est insignis missionarius Congregationis Oblatorum Mariae Immaculatae.

Teste fratre Patritio Iacobus iam puer, licet ludorum puerilium amantissimus, excellebat pietate singulari. Narrat quoque Antistes hoc factum. Quodam sabbato Iacobus volebat paenitentiae sacramentum recipere, sed iussus est operarios ad agrum multum distantem ducere et interdiu cum illis laborare. Nihilominus mater admirans eum vesperi vidit ecclesiam intrantem ad confessionem peragendam et in facie vestigia lacrimarum gestantem. Itaque is, qui postea in hoc sacramento administrando futurus erat tam insignis, iam in iuventute illud tanti faciebat, ut de eo hac in re valeat dictum notum: *The boy is father of the man.*

¹ LUDOVICUS VON PASTOR eum in nota sua historia Romanorum Pontificum non nominat, neque aliud quidquam habet de relationibus Clementis XII cum Habsburgis.

Studiis in collegio S. Kierani ferme absolutis Iacobus Collier ad Congregationem SS. Redemptoris a Deo vocatur ope missionis, quam Redemptoristae in ecclesia cathedrali urbis Kilkenny (est Episcopi Ossoriensis residentia) praedicabant.

In tirocinio, quod a. 1893 ingressus est, erat optimus novitius, sicut antea optimus alumnus collegii. Votis d. 15 Oct. 1894 nuncupatis in domo Teignmouth Angliae meridionalis (postea derelicta), per annum rhetoricae studuit et more nostro per biennium philosophiae et per quadriennium theologiae. Commititones adhuc laudant eius spiritum orationis prorsus

haud communem, coniunctum tamen cum cordis simplicitate et amabili hilaritate. Non ferebat aegre quod alii quandoque ridebant de «dono lacrimarum» ab eo in meditando manifestato. Iuniores fratres in temporalibus aut spiritualibus adiuvare ipse in deliciis habebat.

Dies 29 Iul. 1900, quo Episcopus Plymутensis Graham nostro levitae manus imposuit, presbyteratum conferens, in eius vita mansit «dies diērum», et subsequenti die litavit pientissime illud augustum Sacrificium, quod exinde semper fuit eius consolatio maxima et potentissimum sanctificationis medium.

Transacto studiose etiam altero tirocinio operae missionali sese accinxit. Incipientes autem missionarii nostri solacium quoddam inde haurire possunt quod magnus ille missionarius P. Collier e prima missione humiliatus discessit; valetudo eius erat longo studiorum curriculo nimis debilitata et vox nimis exilis. Quisnam autem postea evaserit, quaedam acta diurna post eius obitum ita fere enuntiant: «Forsitan P. Collier hac aetate erat in Hibernia missionarius omnium notissimus; nam suis 38 annis vitae apostolicae per omnes patriae vias itinera sua fecit, praedicaturus missiones in fere omnibus oppidis et pagis, et tali labore plane se consumpsit. Imprimis fortunatus erat in magnis illis cōtionibus habendis, cum missio incipitur aut clauditur, cum SS. Sacramento honor expiationis tribuitur vel paroecia Deiparae consecratur. De eo quidam Antistes dixit:

‘Suo ardore fideque inflammata et dicendi facultate vitae populi religiosae, ubicumque apparebat, flamas subiiciebat. Nec minus excellebat in tradendis clero saeculari aut religiosis viris feminisve secessibus. Asceteria, quae eius spiritualibus filiis replentur, diu eius recordabuntur et pro eo orabunt’».

Confratres iuniores, qui privilegio sibi vertebant eo duce missib⁹ iniciari, in eo inveniebant Superiorem semper amoris ac benevolen-



tiae plenum, semper paratum ad aliorum onera in se suscipienda. Ea de causa etiam in communitatibus erat membrum adeo pretiosum; nam si Superior pro aliquo labore difficulter Patrem idoneum reperiebat, satis erat ultimo momento Patrem Collier vocare.

Studium laboris in eo erat mirabile. Ad quiescendum invitatus subridens dicere solebat: «In hac vita non est mihi tempus feriarum; aeternas ferias exspecto». Inter varias missiones per tres quatuorve dies domum redux, neque tum opere vacabat, sed inveniebatur occupatus vel scribendo novos sermones vel exarando illa folia pulchra typis imprimenda, quibus Regis Eucharistici gloriam promovere satagebat. Sicut Parens S. Alfonsus ardebat amore erga Iesum tabernaculi custodia detentum et desiderio accendendi eundem ignem in cordibus christifidelium. Praeterea, Superiorum voluntati obsecundans, exarabat quoddam de vita ascetica opus, quod minus absolveret, praematura mors impedivit.

Atvero nulla devotionis forma adeo in eo excellebat quam eius devotio seu studium erga incuruentum Missae sacrificium. Vere in Hibernia Missae Apostolus evasit, sicut abhinc duobus saeculis S. Leonardus a Portu Mauritio in Italia, nec minus Missam commendabat exemplo quam verbo. Nisi aliis officiis impeditus, nunquam alicui Missae deerat; quod ut recte intelligas et aestimes, considera, quaeso, numerum altum (circa 25) Missarum quotidie in ecclesia eius residentiae celebratarum. Ipse consueverat sacras ad celebrandum vestes induere finitis ceteris Missis, et privatam celebrationem praeferebat, quo liberius se devotioni committere posset. Revera in litando hoc divino Sacrificio Angelus esse videbatur.

Qui ex hucusque dictis intulerit Patrem Collier fuisse omni prorsus defectu immunem, certe neminem sibi magis contradicentem invenerit quam ipsum confratrem defunctum; verumtamen hi defectus, quantum nos iudicare possumus, potius indoli hereditate acceptae aut eventibus improvisis aut zeli excessui tribuendi erant et dubio procul post mortem iudicem reppererunt misericordem.

Superiores haud secus ac confratres eum in vita magni faciebant. A. 1918 Rm̄us P. Generalis eum nominavit Rectorem domus novitiatus Dundalk; quo munere ut triennio finito liberaretur ipse disertis verbis efflagitavit. Illa periodo ecclesiae novas campanas providit. Per aliquod tempus fuit Provinciae Procurator et inde ab a. 1936 Consultor-Secretarius Provincialis.

Undenam P. Collier in suo sacro ministerio colligebat tam praeclaros fructus? Causa praecipua sane fuit gratia Dei, quam apostolatu suo copiosam attrahebat mirabili sua erga sacrificium Missae devotione et exercitio aliarum virtutum, praesertim humilitatis et oboedientiae. Haec autem oboedientia caeca eo magis admiranda, quia innata eius indoles potius erat independens et personalis, quae dicitur.

Quamvis corpore robustus, non poterat non sentire continui laboris effecta. Abhinc aliquot annis coepit ex corde laborare, quare ipse subitanam mortem praesagiebat, nihilo secius apostolatum suum strenue continuans. Et quae secuta est mors, fuit tali vitae plane conformis. Die 15 Iul. 1939 Limerico Waterfordium se contulit traditurus exercitia Sororibus S. Ioannis a Deo. Postridie, quae fuit Dominica et festum B. M. V. de Monte Carmelo atque in nostra Congregatione festum SS. Redemptoris, litata propria Missa vicinam ecclesiam petiit, ut alteri Missae assistere posset. Reversus hora 10 incipit sermonem his verbis: «Adiuvantibus Deo et beata Dei Genitrice nunc pergamus in nostro sanctitatis studio.» Subito tacere, caput reclinare, e sede in terram prolabi. Duae Sorores accurrunt et Patrem, iam loquela orbatum et moribundum, in pavimento sternunt; dant cereum benedictum in manum et recitant preces agonizantium. Telephonio accersiti mox adveniunt sacerdos et medicus; ille dat ultimam absolutionem et extremam unctionem, hic declarat vitam esse exstinctam. Sic bonus P. Collier habuit mortem, quam sibi desiderarat: brevi post celebratam Missam, in qua ipse sibi Viaticum porroferat, et prope Sacrificii aram in choro ecclesiae.

In cathedrali Waterfordensi sollemnem Missam funebrem cantavit defuncti frater germanus, Episcopus Ossoriensis, praesentibus duobus aliis Episcopis, permultis sacerdotibus et immensa populi multitudine. Inde corpus delatum est Limericum ibique benedictionem Rmī P. Generalis recepit, tunc temporis ad visitationem paternam in patria degentis. Alteri Missae de Requie, item ab Excmo D. Patritio Collier celebratae, 150 sacerdotes intererant et fidelium multitudo pariter magna. Corpus sepultum est subter altare maius in crypta templi, inde, ut iure optimo speramus, ad mirum tubae sonum miro splendore exiturum. Interim pia anima Patris Collier r. i. p.